



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **EMERITENSIS AUGUSTANA-PACENSIS*NOVA**
CONSTITUITUR IN HISPANIA PROVINCIA ECCLESIASTICA
EMERITENSIS AUGUSTANA-PACENSIS ET SEDES AD
METROPOLITANAE ECCLESIAE STATUM ATTOLLITUR

Universae Ecclesiae sustinentes rationes et causas, omni sollicitudine properamus ut catholica instituta fidelibus opportuna afferant beneficia eorundemque necessitatibus feliciter aptentur. Nunc autem de quadam Hispaniae regione cogitamus, nominatim de territorio civilis autonomiae, quod « Extremadura » appellatur, cuius Praesules, ut ibidem nova conderetur Provincia ecclesiastica, poposcerunt. Idcirco Conferentia Hispaniae Episcoporum consentiente aequae ac Venerabili Fratrem Mario Tagliaferri favente, Archiepiscopo titulo Formiano et in Hispania Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis, pro Apostolica Nostra potestate, haec statuimus et decernimus. Condimus Provinciam Ecclesiasticam, Emeritensem Augustanam — Pacensem appellandam, ac Pacensem Sedem episcopalem, cuius nomen hoc ipso actu in Emeritensem Augustanam — Pacensem mutatur a Metropolitana Ecclesia Hispalensi seiungitur, atque ad Metropolitanam Ecclesiam gradum evehimus. Nova archiepiscopalis Sedes locupletem hereditatem eximiasque traditiones tum antiquae Metropolitanam Ecclesiam Emeritensem Augustanam tum vetustae dioecesis Pacensis suscipit. Provincia ecclesiastica Emeritensis Augustana — Pacensis noviter erecta constituitur Ecclesia eiusdem nominis ac suffraganeis dioecesibus Castrorum Caeciliorum et Placentina in Hispania, ad hoc usque tempus Provinciis Ecclesiasticis Hispalensi et Toletanae spectantibus. Pacensem in praesentia Episcopum, scilicet Venerabilem Fratrem Antonium Montero Moreno ad dignitatem statumque Archiepiscopi Metropolitanam novae Provinciae ecclesiasticae attollimus itemque iura officiaque addimus quae ad iuris canonici normas cum hac conditione nectuntur. Archiepiscopus Metropolitanus in urbe Pacensi vel Emeritensi commorari poterit atque officia archidioecesana alia in alio loco ponere. Templum paroeciale « Santa Maria la Mayor », quod situm est in urbe Merida, Deo in honorem Assumptionis Beatae Mariae Virginis dicatum, ad gradum Concathedralis evehimus cum cunctis iuribus et privilegiis quae ad id genus aedes sacras spectant. Capitulum canonicorum, pro opportunitate, secundum iuris praescripta, ibidem etiam erigi poterit. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Marium Tagliaferri, quem antea memoravimus, legamus, opportunis necessariisque factis facultatibus subdelegandi quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re tandem absoluta, documenta conficiantur,

quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis sedulo mittantur, rebus quibusvis minime obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo et vicesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostro sexto decimo.

| | |
|---|--|
| ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i> | BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis Praef.</i> |
|---|--|

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 12, pp. 936-937

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana